

Cibus eius in luteo est: Omnibus intus caput maius toto corpore, oculi compressi capite maiores. Incremente pullo candor in medium uertitur, luteum circumfunditur. Vicesimo die, si moueatur ouum, iam uiuentis intra putamen uox auditur. Ab eodem tempore plumescit, ita positus, ut caput supra dextrum pedem habeat, dexteram uero alam supra caput. Vitellus paulatim deficit. Aues omnes in pedes nascuntur, contra quam reliqua animalia. Quaedam gallina omnia gemina oua pariunt, & geminos interdum excludunt, ut Cornelius Celsus autor est: alterum maiorem, alioqui negant omnino geminos excludi. Plus uicena quina incubanda subijci uentant. Parere à bruma incipiunt. Optima fœtura ante uernum æquinoctium. Post solstitium nata non implent magnitudinem iustam, tantoque minus quanto serius prouenere.

De uitijs & remedijs incubantium. CAP. LIIII.

Oua incubari intra decem dies edita utilissimū, uetera aut recētiōra infœcunda. Subijci impari numero debēt. Quarto die postq̄ capere incubari, si contra lumen cacumine ouorum apprehenso una manu, purus & uniusmodi perluceat color, sterilia existimantur esse, proque eis alia substituenda. Et in aqua est experimentum, inane fluitat: itaque sidentia, hoc est plena, subijci uolunt. Concuti uero experimento uentant, quoniam non gignant confusis uitalibus uenis. Incubationi datur initium post nouam lunam, quia prius inchoata non proueniant. Celerius excluduntur calidis diebus. Ideo æstate undecimo educunt fœtum, hyeme uicesimo quinto. Si incubatu tonuerit, oua pereunt: & accipitris audita uoce uitantur. Remedium contra tonitrum, clauus ferreus sub stramine ouorum positus, aut terra ex aratro. Quaedam autem & citra incubitum, sponte natura gignunt, ut in Aegypti smetis. Scitum de quodam potore reperitur, Syracusis tam diu potare solitum, donec cooperta terra fœtum ederent oua. Quin & ab homine perficiuntur.

De augurijs ouorum. CAP. LV.

Ilia Augusta, prima sua iuuenta Tiberio Cesare ex Nerone grauida, cū parere uirilem sexū admodum cuperet, hoc usa est puellari augurio, ouum in sinu fouendo, atque cum deponendum haberet, nutrici per sinum tradendo, ne intermitteretur tepor. Nec falso augurata proditur. Nuper inde fortasse inuentum, ut oua in calido loco imposta paleis igne modico fouerentur, homine uersante, pariterque, & stato die illinc erumperet fœtus. Traditur quaedam ars galinarij cuiusdam, dicentis quod ex quaq; esset. Narrantur & mortua gallina mariti earum uisi succedentes in uicem, & reliqua fœte more facientes, abstinentesque se à cantu. Super omnia est anatum ouis subditis atque exclusis admiratio, primo non plane agnoscantis fœtum: mox incertos incubitus solite conuocantis: postremo lamenta circa piscinæ stagna, mer-

gentibus se pullis natura duce.

Quæ gallinæ optimæ. CAP. LVI.

Gallinarū generositas spectatur crista erecta, interdum & gemina, pennis nigris, ore rubicundo, digitis imparibus, aliquando & super quatuor digitos transuerso uno. Ad rem diuinam, luteo rostro pedibusq; pura non uidentur: ad opertanea sacra, nigra. Est & pumilionum genus non sterile in us, quod non in alio genere alitum, sed quibus certa fecunditas rara, & incubatio ouis noxia.

De morbis earum & remedijs. CAP. LVII.

Inimicissima autem omnium generi pituita, maximeq; inter messis & uindemiæ tempus. Medicina in fame, & cubatus in fumo, si utiq; ex lauro aut herba sabina fiat: penna per trāsuersas inserta nares, & per omnes dies mota: cibus allium cum farre, aut aqua perfusus, in qua lauerit noctua, aut cum semine uitis alba coctus: & quaedam alia.

De cōceptu & numero fœtus auū. CAP. LVIII.

Columba proprio ritu osculatur ante coitū. Pariunt fere bina oua: ita natura moderante ut alijs crebrior sit fœtus, alijs numerosior. Palubes et turtures plurimum terna, nec plus q̄ bis fere pariunt: atq; ita si prior fœtus corruptus est, quāuis tria pepererint, nunq̄ plus duobus educant. Tertium quod irritum est, urinum uocant. Palumbes incubat fœmina post meridia in matutinum, cetero mas. Columba marem semper & fœminam pariunt, priorem marem, postridie fœminā. Incubant in eo genere ambo, interdum mas, noctu fœmina. Excludūt xx. die. Pariunt à coitu quinto. Aestate quidem interdum binis mensibus terna edunt paria. Nanq; xvij. die excludunt, statim concipiunt. Quare inter pullos saepe oua inueniuntur, et alij prouolant, alij erumpunt. Ipsi deinde pulli quinquemestres fœtificant. Et ipse autem inter se (si mas nō sit) fœmina æque saluunt, pariūtq; oua irrita, ex quibus nihil gignitur, quæ hypenemia Græci uocant.

De pauone & anseribus. CAP. LIX.

Pauo à trimatu parit. Primo anno unū aut alterū ouū, sequenti quaterna quinaue, ceteris duodena, non amplius. intermittens binos dies ternosue parit, & ter anno si gallinis subijciantur incubanda. Mares ea frangunt desiderio incubantium. Quapropter noctu & in latebris pariūt, aut in excelso cubantes: & nisi molli strato excepta, franguntur. Mares singuli quinis sufficiūt coniugibus. Cū singule aut binæ fuere, corrūpitur salacitate fecunditas. Partus excluditur diebus ter nouenis, aut tardius tricesimo. Anseres in aqua coeūt, pariūt uere: aut si bruma coiuere post solstitium* quadraginta prope. Bis anno, si priorē fœtū gallina excludāt, alias plurima oua sedecim, paucissima septē. Si quis surripiat, pariunt donec rūpantur. Aliena non excludūt. Incubanda subijci utilissimum ix. aut xi. Incubant fœminæ tantum tricenis diebus. Si uero tepidiores sint, uiginti quinq;.

m Pullis

* quadragesimo

fimo